



BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich


XVII

2890









S V M M V L A S T A T V T O R V M .

22  
**COMMVNIONIS,  
HIERARCHIÆ PLE-  
NITUDINIS ÆTATIS IESV.  
pro Redemptione Captiuorum institutæ.**

*Editorum pro*

**DISTRICTV ORIENTALI.**

*Ab*

Illustriss<sup>mi</sup> & Excellentiss<sup>mi</sup> Domini D. Michaëlis Adolphi , Comitis ab Althan , &c. &c. Militiæ Christianæ CONCEPTIONIS, Immaculatæ Virginis Mariæ Fundatoris, eiusdemque Generalis Campimagistri: atque præfatae Communionis Institutoris, eiusdemq; primi Magni Magistri.

*Plenipotentiario per plagam Orientalem, in materia Redemptionis  
Captiuorum, Commissario Æriariorumque Præside.*

Reuerendo P. Adalberto Dembołęcki á Konoiády , Ar-  
rium & Sacr. Theol. Doct. Commiss. Generali VI-  
tramontano. Ordinis S. Francisci Minorum  
Conuentualium.

*Cum licentia Superiorum.*

*Jy 3.*

**V A R S A V I Æ,**

In Officina Ioannis Rossowski, S.R.M. Typographi.

Anno Domini, 1626.



# AD LECTOREM.

**P**lissimum hoc negocium ( pielector ) Redemptionis Captiuorum, de manibus Paganorum: ita institutum est, ut quicunque deo-  
eus Christianus ( Deo inspirante ) compassione, superhuiusmodi crude-  
lissima, anima simul & corporis, afflictione pauperum sub iugo Paga-  
nismi Captiuorum, ductus fuerit, manumque adiutricem, pro amore  
IESV Christi crucifixi, non tantum simpliciter porrigere, sed etiam  
inter tales connuenerari & haberi, eorumq; plurimis gratiis, tam a San-  
cta Sede Apostolica, Spiritualibus & temporalibus, quam ab Inui-  
tissimo Imperatore Ferdinando II. aliisque Augustissimi Regibus &  
Principibus Christianis, concessis, gaudere voluerit; necesse est, ut  
nomen suum in Album Communionis inferens, sese Tributari um Christi,  
pro Redemptione Captiuorum declaret: extunc offerendo, & in poste-  
rum promittendo, singulis annis, ad honorem pleni numeri etatis I E-  
S V, trintatris, sibi possilia, pro redimendis Captiuis beneficia, in  
Ærarium Communionis inferre. Miserorum ergo pie Lector miserere,  
ut eorum Orationibus habeas, praesens futurumque, VALE.

## EX BULLA CONFIRMATIONIS.

**I**nsuper ut Confratres in piorum operum praesenti exercitio consoueantur, ac magis ad illa ie posterum excrenda, neconu alij Christi fideles ad dictam Confraternitatem de cætero ingrediendam per amplius inuitentur, eademque Confraternitas maiora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis D E I misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, Omnibus & Singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam Confraternitatem de cætero ingredientur, die primi eorum ingressus, si verè penitentes & confessi, Sanctissimum Eucharistiz Sacramentum sumperint, plenariam ac eisdem & pro tempore existentibus Confratribus & Consoribus in cuiuslibet eorum mortis Articulo, si etiam verè penitentes & confessi ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequierint, saltēm contriti nomen I E S V, ore si potuerint, sin autem, corde deuotè inuocauerint, etiam plenariam, &c. omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in De-  
minino concedimus. Necnon &c.

XVII - 2890 - II

De recipiendis in Albūm Communionis. Caput. 1.

**Q** Vicunq; fidelium, Confrater Communionis esse voluerit, confessus & Communicatus nomen suum in Catalogum Confratrum inscribat, vel ( si nescit ) per Secretarium illius Aerarij, inscribi faciat: Reponendo triginta tres obulos, vel solidos aut grossos, siue medios grossos, aut florenos, vel Taleros, siue aureos, vel eorundem medietates &c. ( vnumquisq; iuxta deuotionem & possibiliter suam ) atq; id ipsum, singulis annis se facturum promittendo.

Confrater autem factus singulis diebus deuotè orabit Coronam Communionis, quæ est ad honorem ætatis Iesu: triginta tribus vicibus dicere hæc verba: *Gloria in excelsis Deo, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Petendo à Deo Gloriā ipsius in eliberatis Captiuis Christianis. Debebitque in rebus Communionis tantum, Praefecto Aerarij firmiter obedire, sub pænâ electionis ex Cathalogo.

De Aerarijs Orientalibus. Caput 2.

**A** Eraria Communionis triplicia erunt: videlicet Localia, Prouincialia & Generale Districtus. Omnia verò & singula non nisi in templis, ita fundabuntur, ut Capellam propriam, vel in defœtu illius, saltem Altare habeant.

Ipsum autem Aerarium à dextris Altaris, id est, à cornu Euangeli in loco eminenti collocetur: cum suprascriptio- ne. Aerarium loci ( vel Prouincie ) N. ( Vel Subærarium N. Aerarij N. ) Communionis, pro Redemptione Captiuorum.

Forma quoque Aerarij, sit vbiq; eadem; videlicet. Fiat Cista oblonga, congruae magnitudinis; in cuius medio, ad

## S V M M V L A

partem posteriorem, (parieti affigendam) sit infixa *Cru<sup>x</sup>*  
*Communionis* ex asseribus facta, ita ut intra sit vacua. In  
cuius summitate, sit paruum foramen, ita intromissum: ut  
iniecta in illud pecunia, in cistam usq; decidat. Ob id, in  
Cista ipsa, sint duæ divisiones, ex asseribus factæ, tantum  
ab inuicem distantes, quantum lata Crux ipsa fuerit; Ita, ut  
iniecta pecunia, non per totam Cistam diffundatur, sed in  
media cellula (reliquis minima) remaneat, donec per The-  
saurarios reuisa, ad alteram quæ ad dextram erit transpo-  
natur. Sitq; obstaculum, in eadem media cellula, sub ipsa  
Cruce factum, ita quod etiamsi cista cuerteretur, vel Crux  
ex ea effringeretur, pecunia nihilominus non possit retro-  
cedere, vel effundi aut extrahi.

Superior pars cistæ seu occlusorium illius, sit scissum per  
totum in latitudinem, non tamen per medium: sed proprius  
parti posteriori videlicet versus Crucem: adeo, quod non  
obstante immobilitate Crucis infixæ, tota simul Cista ita  
aperiatur, ut non prius una, quam reliquæ cellularum, ap-  
pareat.

Huiusmodi ergo Ærarium, ex Cista & Cruce Commu-  
nionis extructum, sit circumquâq; ferro sufficienter muni-  
tum, atq; in angulo Altaris, vel duorum murorum; non su-  
præ terram, sed ligneum integrum fundamentū situm; duo-  
bus muris, vel muro & Altari, aut (si extrema latitudinis  
cistæ, & Altare, & murum attigerint) utriq; muro & Alta-  
ri, fortiter affixum: idq; & desuper, in ea parte cistæ, quæ  
ob infixam sibi Crucem non potest aperiri, & ab extra in  
collaterali parte vel partibus cistæ, oculo expositis. Crux  
quoq; ipsa, & cistæ & muro sit bene vndiq; affixa. Funda-  
mentum autem præfatum, ad obsistendum terræ humidita-  
ti Ærario supponendum, sit etiam & muro & ipsi Ærario,  
vndiq;

# S T A T V T O R V M

vndiq; affixum : ne eo extracto possit ad inferiorem partē  
Ærarij patere furtiuus accessus.

Sic autem munitum , & affixum Ærarium , tres seras ha-  
beat intralatentes ( vulgo 3amki ) proportionaliter disposi-  
tas ; Quarum quidem singulæ claves , apud singulos The-  
sauiarios erunt ; ita , vt nullus absq; altero , possit illud ape-  
rire . Nec vnquam etiam à tribus aperietur , sine præsentia  
Præfecti , vel ( in casu aliquo ) eius substituti .

Præfatarum ergo trium cellularum Ærarij , in media , so-  
la iniecta per cruem eleemosyna permanebit , in dextra  
collaterali , pecunia numerata & regestrata in summasque  
aliquas redacta ; in sinistra verò scilicet Altari proximiori ,  
tres libri Ærarij ; videlicet Acta , Catalogus & Summariū  
prouentuum atq; expensarum , afferuabuntur .

Quidquid autem de Ærarijs ( siue Generali in districtu  
Orientali , siue Prouinciali in Regno aut Prouincia vel na-  
tione aliqua , siue locali , in Ducatu seu Palatinatu vel Dice-  
cessi , aut aliquo Dominio erigendis ) præmissum est ; id ipsum  
& de Subærarijs , in Oppidis priuatisque locis erigendis in-  
telligendum erit .

## De Ordine inter Æraria seruando. Caput 3.

O rdo autem inter Æraria & Subæraria talis obserue-  
tur , vt inferius subsit , obediatq; superiori . Præfecti  
itaque Subærariorum , ante diem Natiuitatis Redemptoris ,  
( quo tempore facta est prima orbis conscriptio ) Tributa  
Confratrum , pro Redemptione captiuorum voluntarie cō-  
scriptorum , colligent , & quæq; infrascripta , circa Æraria  
pro Feste Trium Regum facienda , ipsi in Vigilia Natiuita-  
tis , vel in die S. Stephani expedire præuenient : reuisoq;  
A ; Subæra-

S V M M V L A T I O

Subærario, decimam partem totius Summæ, pro necessitatibus Subærarij, in ipso relinquet: reliquas verò nouem, ad suum Ærarium locale (cui pro tempore adnumeratum fuerit) vnâ cum informatione de electis pro eo anno Officialibus, & reliquo statu rerum Subærarij, atq; registro captiuorum transmittet; ita, vt ea omnia Præfectus Ærarij, ante Festum Trium Regum, præ manibus habeat.

Præfectus verò Ærarij Localis (quod erit in Ducatu vel Palatinatu &c.) approbatâ confirmatione Officialium Subærarij, & mutato vbi opus fuerit (de consensu tamen Consiliorum & Ærarij & illius Subærarij) Præfecto illius: confusisq; omnium Subærariorum Eleemosynis, cum illis quæ sunt in Ærario, decimam octauam partem totius Summæ, pro necessitatibus Ærarij segregabit; reliquas verò decem & septem ad Ærarij Prouinciale (cui pro tempore adnumeratum fuerit) vnâ cum informatione, de statu Ærarij & Subærariorum eius, de Officialibus quoque Ærarij, in die Trium Regum pro eo anno electis, atq; Præfectis Subærariorum, & his similibus, necnō regestra Captiuorum, Præfecto Ærarij Prouincialis, ante Dominicam Septuagesimæ transmittet: ita, vt pro ea Dominica Præfectus Prouincialis omnia præ manibus habeat.

Præfectus itidem Ærarij Prouincialis, pariter approbatâ confirmatione Officialium Ærarij Localis, & mutato vbi opus fuerit (de consensu tamen consiliorum, & Prouincialis & illius Ærarij) confusisq; omnium Ærariorum Localium Eleemosynis, cum illis quæ fuerint in Prouinciali Ærario, trigesimam quartam partem totius Summæ, pro necessitatibus Ærarij Prouincialis in eo relinquet, reliquas verò triginta tres ad Ærarium Districtus Orientalis, vnâ cum informatione, de statu Ærarij Prouincialis, suorumq; Ærariorum

# STATUTORVM

orum Localium & eorundem Subærariorum: de Officialibus quoq; Ærarij Prouincialis (in Dominica Septuagesimæ, pro eo anno electis) atque Præfectis suorum Ærariorum, Localium eorundemq; Subærariorum, & his similibus, Præsidenti seu Commissario Orientali Communionis pro festo Paschatis vñacum Regestris captiuorum, à Subærarijs per Præfectos Ærarij Localium acceptis transmittere: ita, ut ille de omnibus qualibusvis Ærarijs sui Districtus informatus, congregatisque omnibus Summis Ærariorum Provincialium atque regestris Captiuorum ad Ærarium Generale Districtus Orientalis; possit ad magnum Magistrum Communionis, eiusdemq; primum Antistitem pro tempore existentes, immediate post Pascha expedire, eosdemq; ante Festum Pentecostes, de omnibus informare, vt in Archivo acticentur, de ulterioribusque agendis, ibidem Spiritus Sanctus in die Pentecostes requiratur.

Porrò Legati inferiorum Ærariorum, ad superiora cum pecunia missi, Regestra quoque captiuorum (si qui fuerint) Confratrum, veletiam quorumcunq; aliorum, auxilium Communionis requirentium; iuxta infra prescriptam (Cap. 7.) formam ordinata, secum adferent Præsidenti Orientali transmittenda. Reuidebunt quoque Æraria, ad quæ mittuntur, & Eleemosynarum rationes, atq; numerum Redemptorum, ita, vt sciāt ijs à quibus missi sunt, rationē reddere, quomodo expendantur, quidque boni pro eis factū sit. Præfecti autem pecuniam à Legatis accipientes, ab ijsdem requisiti, eos de omnibus ac singulis, autenticè informare, ipsisque omnium rationem reddere debebunt: ita ut cùm omnes sciuerint, negocij administrationem, nullus possit quempiam infidelitatis criminari, vel saltem suspectum habere.

De Capelis

*De Capillis seu locis Aerariomm. Caput I.*

**C**apella Communionis, portam fortem, & crateres ferreos in fenestris habeat, ita, ut ibidem Aerarium omni ex parte securum permaneat. Si autem in defectu Capellæ, tantummodo Altare fuerit; id ipsum crateribus ferreis ( vel saltem fortibus ) circumquaque in formam Capellæ, ita muniatur, ut malo homini, nullus per eos ad Aerarium pateat accessus.

Imago autem Altaris principalis (vbi fieri poterit) uniformitatis gratiâ, vbiique huiusmodi erit: ut hic affigenda tabula docebit.

Per ipsam verò Capellam, depingantur omnes vel earum (iuxta loci capacitatem) aliquæ principales imagines, quæ in adiicienda tabula videbuntur. Taliterque disponantur, ut primæ sint remotiores ab Aerario, vltimæ autem eidem proximiores.

Extra Capellam etiam, sit, Crux Communionis, supra portam depicta, cum inscriptione, circa vel supra eam.  
*Capella Communionis pro redemptione Captiuorum.*

Vbi autem non nisi Altare habetur, affigatur tabella id ipsum continens, super crateres, Altare circumducentes.

Singulis ergò diebus, in huiusmodi Capellis, vel Altarijs, Missa Votua pro afflictis & Captiuis legetur. In Solennitatibus autem, saltem commemoratio, vel ad minus memoria pro iisdem, fiat in Missa de die peragenda.

Festa verò Nativitatis & Resurrectionis Domini, Trium quoque Regum, & utrumque S. Crucis, atque Conceptionis Beatissimæ Virginis, & SS. Michaëlis Archangeli, Francisci Stigmatizati, Basilij Episcopi, & Ignatij Soc. Iesu, cum sint festa huius Communionis, omni meliori modo sol-

# S T A T V T O R V M.

dō solenizabuntur, Confratresque ad S. Communionem,  
in ijs faciendam, exhortandi erunt.

Vnā quoque liberiori cuiusuis Mensis Domīnica, fiet  
exhortatio in eadem Capella: & si qui fuerint in Album  
Communionis recipiendi, confessi & Communicati, in  
Cathalogo Confratrum regestrentur; quanquam & alio  
quocunque tempore, seruatis seruandis recipi poterunt.

## De libris Ærarij. Caput 5.

**L**ibri cuiusuis Ærarij tres erunt posteritati relinquendi:  
videlicet Cathalogus Confratrum, Acta Ærarij, &  
Regestra acceptarum atque expensarum Ærarij. In quibus  
Secretarius Ærarij pertinetia infrascriptis formulis recōdet.

### De Cathalogo.

Titulus Cathalogi talis fiat, debitē dispositus *Cathalogus  
Confratrum Communionis Hierarchie plenitudinis etatis Iesu, Tribu-  
tiorum Christi, pro Redemptione Captiuorum, ad Ærarium. ( vel  
subærarium) N. erectum.* Anno Domini die.  
Forma autem inscribendi in eo, talis obseruetur. Anno

die Illustris (vel quod fert conditio personæ) N. N.  
in præsentia Confratrum N. N. N. (administrus 3. ponantur) ad  
Communionem receptus, Confraterque factus, obtulit, in posterumque  
singulis Annis offerre promisit triginta tres. N.

Hic liber habeat Subcathalogum, singulis annis, per  
electionē ex eo mortuorū renouandum; fiatq; in tali forma.  
(vniiformitatis gratiā) ut sequitur Folio sequenti.

Titulus autem ipsius erit, *Subcathalogus Confratrum viuo-  
rum Communionis Hierarchie plenitudinis etatis Iesu, corundemque  
Tributorum pro Redemptione Captiuorum ad Ærarium N. reforma-  
tus. Anno Domini in die.*

# S V M M V L A

De Actis.

**T**itulus Actorum talis fiat, debitè dispositus. Acta Aë-  
rarij (vel subærarij) N. Communionis Hierarchie plenitu-  
dinis ætatis Iesu, pro Redemptione Captiuorum, eretti, in Capella (vel  
ad Altare) N. N. templi N. (à loco) Parochialis (vel N. N.)  
Sancti N. per N. N. (nomen & cognomen atque titulus cri-  
gentis) Anno Domini

In hoc libro scribentur, donationes, Priuilegia, & quæq;  
essentialia seu notabilia Acta circa Ærarium, ita, ut expri-  
matur tempus, locus, causa, personæ actus, atque in eo con-  
clusa.

S T A T V T O R V M.

clusa , & his similia , in eum qui sequitur modum . *Anno  
Domini die fuit sessio Annualis . ( vel quartualis ,  
aut ex occasione aduentus Visitatoris , vel quacunque alia )  
In qua aderant , Præfctus , Thesaurarii omnes ( vel quot fuerint )  
Consiliarii quoque omnes ( vel quot fuerint ) Capellanus , & Con-  
fratres ) si qui fuerint præsentes digni admissione , tot quot  
interfuerint , in summa ponantur . ) Conclusumque est*

*( vel reuismus Ærarium &c. vel*

*Subcatalogus reformatus ) ex quo ( tot ) mortui deleti  
sunt , pro eisque die sequenti celebratum , vel quartualis  
per Confratres N. & N. pro Captiuis mendicatio ; ex qua  
( tantum ) allatum , Thesaurarijs consignatum est : vel Re-  
dempti præsentati , ( tot ) & his similia .*

*¶ De Protocolo Actorum , infra habetur , vbi agitur de  
Secretario .*

*De Regestris .*

*Titulus Regestrorum talis fiat pariter debitè dispositus . Regestrum Acceptorum , ad Ærarium ( vel Subærarium )  
N. Communionis Hierarchie plenitudinis etatis Iesu , sub Præfectura  
N. N. in Anno Domini In altera vero parte e-  
iusdem libri fiat titulus , Regestrum Expensorum , ex Ærario  
&c. ut supra .*

*Forma conficiendi Regestri .*

*Accepta Ærarij N. in Anno Domini*

		Flor.	Großl.	Tern.
I V N I V S .	Ex Annuali collecta Tributorum .			
1. Fer. ij.	Ex Subærario N. per manus N. N.			
6. Sabbato.	Ex legatione per Testamentum .			
vlt. fer. iiij.	Ex Domo N. Census Annualis .			
	Congregatæ per Mensem Elcemosynæ .			
	Ex quartuali mendicatione .			
I V L I V S .	Summa lateris .			
10 M. PI	B 2			Eodem

# S V M M V L A.

*Eodem modo, Expensa Regestratur.*

Obseruandum autem est, quod huiusmodi Regestra, tam Acceptorum, quam Expensorum, debeant esse perpetua, ob idque in eis, nonnisi, notatu digna, ut Summæ aliquæ, tam Acceptæ quam Expensæ, quam breuissimè notentur.

¶ Pro rebus autem minoris momenti, Sacrista Capellæ, (vel cui commiserit Præfектus) habebit, Regestrum transitorium: (correspondens Subcathalogo) in cuius vnâ parte, accidentales eleemosynas, iu crucem iniiciendas, in altera verò, occurrentes expensas, pro necessarijs Capellæ, per mensem notabit; expendendo summam à Thesaurarijs pro eo mense acceptam. In fine autem Mensis Præfектus auditâ ab eo ratione acceptorum & expensorum, in Registro perpetuo notari faciet, sub ultimâ die mensis, *Congregatæ per mensem Eleemosynæ & Expensarum per eundem factarum pro necessitatibus Aerarii.*

## *De Officialibus Aerarij & Officijs eorum. Caput 6.*

**V**icinque autem Aerariū erēctū fuerit, ibidem, ut debito more gubernetur & conseruetur, aderūt semper Præfektus Aerarij, Thesaurarij tres, Consiliarij quatuor, & Secretarius. Qui omnes iurati erunt iuxta sequentem formulam.

Ego N. N. Confrater Communionis Hierarchiæ plenitudinis ætatis Iesu, electus & confirmatus Præfektus (vel Thesaurarius, &c.) Aerarij N. voueo & promitto Deo Omnipotenti, Immaculatæ Virginis Mariæ, Sanctisq; Patronis Communionis, Michaëli Archangelo, Basilio, Francisco, atque Ignatio, & omnibus Sanctis, quod toto tempore mei

# STATUTORVM.

re mei officij, legitimis superioribus Communionis quibuscunq; in ijs omnibus, solisque tantum, quæ sunt vel erunt Communionis & officij mei, firmiter & omnimodè obediam, commissumq; mihi Officium, iuxta præscriptas de eo leges & statuta Districtus Orientalis, cum omni fidelitate, atque possibili diligentia exequar; & si quid nocuæ infidelitatis vel negligentiae, in aliquo Officialium, maiorum minorum me ipso compererim, id semper ad immediatum illorum Præfectum vel Superiorem, aut Ærariorum Visitatorem, non negligam referre, ad laudem Dei, & consolationem Captiuorum. Ita me Deus adiuet, & hoc S. Euangeliū.

Omnes autem prædicti iurati **Officiales**, à Confratribus illius Ærariorum, per vota secreta eligentur, vel reelegentur. Præfectus quidem, nonnisi quoties, & quandocunq; alter, mortuus, vel Officio iustis de causis legitimè priuatus fuerit, aut sponte Præfecturam resignauerit, reliqui verò singulis Annis, ut infra habetur, *Cap. 7.*

Electorum verò Præfectus Subærarij, à Præfecto Ærariorum localis, hic verò à Præfecto Ærariorum Prouincialis, & ille à Præsidentè Districtus Orientalis: reliqui autem à sui Ærariorum, vel Subætarij Præfectis confirmabuntur.

Præfectus ergò Ærariorum, tanquam caput Confratrum (cui reliqui omnes in ijs tantum quæ sunt Communionis obedire debebunt) singula disponet, aduertendo ut Ærarium bene gubernetur, & custodiatur, Catalogusq; Confratrum per Concionatorum exhortationes augeatur, & Acta Ærariorum fideliter cōscribantur, atq; reliqua in hisce statutis contenta, omnia ac singula ad vnguem obseruentur.

Thesaurarij verò tres, ex diuersis statibus elegantur: ita, vt unus sit Ecclesiasticus, alter Nobilis, Tertius Ciuis;

Quorum singuli singulas claves Ærarij habebunt.

Consiliarij quoq; 4. elegantur , ita vt duo sint Ecclesiastici , & duo sœculares : videlicet , Nobilis & Ciuis . Qui omnes s. Thesaurarij & Consiliarij , quotiescunq; à Præfecto Ærarij ad Consilium vocabuntur , pro assignato tempore comparere debebunt.

Prouideatur vltra hos , vt Capella vel Altare Communionis , habeat suum Capellatum , eiusdem tamen status seu Ordinis , sub eademq; Obedientia , prout & reliqu<sup>9</sup> illius Templi Clerus . In Consilijs autem , & quibusvis publicis Actibus , locum & vocem , post prædictos Ecclesiasticos Officiales habebit . Sit quoq; Minister Ærarij , quæque seruilia circa Ærarium peracturus .

Sacrista etiam seu Custos Ærarij , fidelis & diligens eligatur , poteritq; idem esse qui & Capellanus .

Secretarius Ærarij , pariter per vota secreta eligendus , vt præfatos tres libros : videlicet , Acta , Cathalogum , & Regestra , tantò exquisitiùs , breuiùsq; & fidelius conficiat , habebit singulorum singulare Protocolon : in quo , pertinentia iuxta suprascriptas formulas notabit , eaq; singulis quartualibus coram Consilio perleget : atque , audita & per subscriptionem approbata , in libros inscribet , insertaque & collationata esse , in sequenti quartuali sessi comprobabit .

Ob idq; singulis quartualibus , fiet Sessio , seu Consultatio de statu rerum Ærarij , in qua fiet Ærarij & librorum illius reuasio , atque (vltra alia) ad mendicationem quartualem expeditio ; multi enim etiam si Confratres nō fuerint , libenter tamen in tam pium finem Eleemosynas facient , multi etiā Confratres vltra ordinariū Tributū Christi , posterunt aliquādo aliquid elargirj ; quæ Eleemosyna per Confratres cōgregata per Thesaurariosque numerata in Ærariū reponetur ,

*De Congre-*

M V S T A T U T O R V M

*De Congregatione Annuali Caput 7.*

**S**ingulis annis, Præfectus Ærarij, tēpore, (supra Cap. 3.) præscripto, Annualem Confratrum Congregationem faciet. In qua coram, & in præsentia omnium, claves Ærarij, & libri eiusdē omnes in mensa reponētur. Deinde per vota Secreta Thesaurarij vel reeligentur vel noui eligētur. Quibus electis, atque à Præfecto cōfirmatis, singulis singulæ claves Ærarij, publicè cosignabūt. Pariter quoque vel reeligentur vel eligentur, Capellanus, Consiliarij, atque Secretarius; cui Acta Ærarij, & reliqui libri concredentur.

Postmodum fiet reuisio Ærarij, & librorum illius: Quæ omnia Officiales anni præcedētis, nouiter electis, debitè coram Cōmunitate resignabunt; vel si ipsimet reelecti fuerint, rationem reddent sūæ administrationis.

Tandem Subcatalogus reuidebitur, ex quo mortui dēlebuntur, fietque pro ipsis in crastino Requiem, cui omnes studeant adesse. Illi autem qui supersunt viui, admoneantur, vt si qui possint plū quam hactenū, contribuāt: si verò aliqui, ne que hoc possint, quod promiserunt, Tributum eorū (iuxta probatā impossibilitatem) minuatur; ita, vt in posterū pro 33. aureos, floren. 33. medios flor. vel gros. &c. cōtribuāt; hæc enim liberè & ex solā charitate fieri debet.

Deinde producatur authentica relatio, de redemptis anno præterito Captiuis, qui & quot fuerint, atque reliqua de statu & successu rerū Cōmunionis, iuxta quod delator Sūmæ ad maius Ærariū, ab illius Præfecto acceperat.

Tandem quæratur, an non sciantur aliqui illius loci Captiui: atque si fuerint, nomina eorū, facies, ætates, cōplexiones, tēpus & occasio Captiuitatis, atq; his similia (& inter cetera an Confrater fuerit necne) regestretur, maiori Præfecto vnâcum sūma transmittendum. Post hæc cōsultetur de necessitatibus Ærarij,

His explē-

# S V M M V L A S T A T V T O R V M

His expletis Præfectus Ærarij de successu rerum , numero  
Cofratru , electis Officialibus , & de summa , quāta sit in Æriario  
quātaque ad maius Ærariū remittitur , de captiuis quoq;  
regestratis , & his similibus , Præsidentē Orientalē per literas  
informabit ; ita ut sciat quidquid maiori Præf. trāsmittitur .

Præfetus ergo Ærari vel Subær. prædicta omnia & sin-  
gula executioni mādabit : cui omnes in hisce ( hisque cōfor-  
mibus , si quæ successu temporis , pro perfectioni statuerū ,  
edenda fuerint ) obediē debebunt .

## De modo redimendi Captiuos. Caput 8.

R egestrum Captiuorum , studio Præfeci Ærarij vel Subærarij , vbiuis lo-  
corum , singulis annis in annualibus ( vt proximo capite p̄missū est ) Con-  
gregationibus . ( & quandoeunque accidentalis necessitas expulsauerit ) dili-  
genter conficiendum : per manus maiorum Præfectorum , vsque ad Præsidentē  
Districtus Orientalis vnā cum collectis Eleemosynis ( eo modo ut p̄missum est  
Cap. 3. ) deueniet . Præsidens autem , Agentibus ( quos Constantinopoli , & in  
alijs locis paganorum , Illustriſ. D. Fundator Communionis , in eum solum sine  
detinet ) studium eos inueniendi committet . Agentes verò vel aliquis eorum  
si talem inuenierit redimet , ( redemptumque acceptā ab ipso recognitione q̄ā-  
tum pro eo expenderit ) ad Præsidentem Orientalem Camenetiū , vel vbi residē-  
tiā fixerit , securè ( est enim super hoc Turcici Imperatoris consensus ) remittet .

Remissus ergo captiuus , solenniter ad Capellā Communionis deducetur , ibi-  
que primū , Deo , & Christo Redemptori atque Beatiſ. Virginī & SS Patroſ  
Communionis gratias aget : postmodū autem publicē coram populo referet ;  
quomodo , per quem , & quantā summā redemptus fuerit ; ac demum notato a-  
ctu , dimittetur , idq; libere , si Confrater fuerit : sin minus verò , factā cautione ,  
quōd infra determinatum tempus , Summam pro se datam , ad sibi proximus Æ-  
rarium refundet .

Regestrum autem Redemptorum , authenticatum singulis annis ad omnia  
Æria , per manus Præfectorum inferiorū , remittetur ; ita , quōd per eandē vi-  
am à Præsidente Districtus Orientalis , vsque ad Præfectoris singulorū Subærariorū  
reuerteretur , per quam Regesta Captiuorum , ab ipsis vsque ad Præsidentē Di-  
strictus deuenierant .

Hæc pro præsenti sufficiunt .


Ad

GLORIAM IN EXCELSIS DEO ,  
Et in terra pacem hominibus bonæ voluntatis .

• (\*) •

9047





4342

9024  
1

